EPIGRAMMATA

DE QUIBUSDAM SUMMIS

HUJUS SECULI VIRIS.

Ad Lectorem.

Bibliopola tibi vendit mea carmina, Lector,
Sex nummis; conſtant pluris at illa mihi.

LONDINI:

Apud THO. SMITH. M.DCC.XXXVII.

BRITISH MUSEUM

EPIGRAMMATA.

I.

Ad LUDOVICUM *decimum quintum Chriſtianiſſimum Galliæ Regem, anno* 1734.

PRO ſocero, Lodoïce, tuo geris acria bella,
Quæ graviter ſentit Cæſaris alta domus;
Itala Germano nam tellus ſanguine manat,
Et tua nunc gentes fortia facta ſtupent:
Ut ſol exoriens cæleſtia ſidera vincit,
Terrarum ſuperas ſic, Lodoïce, Deos.

II.

De obſidione Dantiſci, eodem anno.

Dantiſcum multo gens barbara milite cingens,
Credidit exiguo tempore poſſe capi:
Poſt menſes quinos urbs tandem dedita Moſcho eſt,
Æternum at cives gloria rara manet.

III.

III.

Ad Reverendiſſimum in Chriſto patrem Archiepiſcopum Cantuarienſem.

Es, Pottere, Dei purus ſanctuſque ſacerdos,
Eſtque ſalus hominum maxima cura tibi:
Sedibus ætheriis divino a numine miſſus,
Juſſa Jovis ſummi Myſta verende doces.

IV.

Ad Libertatem.

Aurea Libertas, Anglorum es gloria gentis,
Quod ſemper cultrix extitit illa tui:
Nam gentes aliæ ſervilia vincula paſſæ,
Anglia perpetuò libera ſola manet.

V.

De SARA JENNINIA *Duciſſâ Marlburienſi.*

Jenniniæ fuit aula Saræ cariſſima quondam,
Nunc odio eſt; didicit vivere, nempe ſibi.

VI.

De Anglarum venuſtate.

Anglarum mihi forma placet, cultuſque, comæque,
Sed tegit ambroſios his ſtola longa pilos:

In terras iterum ſi Jupiter ipſe rediret,
Tangeret has ſolas, & daret eſſe Deas.

VII.

De Dominâ ANNA LUMLÆA.

Omnes Lumlæam Nympham mirantur, adorant,
Stat cui virgineus ſemper in ore pudor:
Cæleſtem ut primum vidit Venus aurea vultum,
Eſt mihi par formâ, dixit, & erubuit.

VIII.

Ad Comitem Agri-Ceſtrenſis.

Si mihi Caſtalides visæ, Stanhope, ſorores,
Te canerem ſummum quo decet ore virum.
Comis & urbanus, blandus, paribuſque facetus,
Omnes devinctos reddis amore tui:
Ingeniumque tuum meritò ſtupet ipſe ſenatus,
Dum patriæ cauſam ſponte diſertus agis.

IX.

De RICHARDO MEDO *Medico.*

Conſulit ingenuis Medus artibus, uſque favendo;
Humano generi conſulit arte ſuâ.

X.

Ad JONATHANEM SWIFT, *S. P. D.*

Nomine & ingenio Celer es, ter & ipſe facetus,
Res patriæ cordi ſunt tibi, reſque Dei.

XI.

Ad Lectorem.

Si te rara juvant, & delectantia, Lector,
Carmina ſublimis ſunt adeunda Popi;
Quem Muſæ docuêre ſuas & Apollinis artes,
Inclyta ſed Pallas plus dedit, eſſe probum.

XII.

Aliud.

Schefferus doctus multo ſale tingere verſus,
Feſtivè Miræ, Martis & acta canit:
Carmina Pierio Donaldus pectore fundit,
Vatibus ut magnis adnumerare queas.

XIII.

In CALVUM.

Per fas atque nefas opes quod auget
Calvus, fidere plurimum videtur
Hâc vitâ, ſibi; ſed Deo, ſequenti.

XIV.

XIV.

In Veteratorem insignem.

Ingentes, Veterator, opes qui congeris auro,
Altius elatum pergis habere caput.

XV.

*In ***** Judicem venalem.*

Judex, munera nulla qui recusas,
Semper Causidicus tibi videris.

XVI.

*In ****.*

Uxorem quod habet **** ore venusto,
Nec male morigeram, purpura terga tegit.

XVII.

In RUFUM *Poetam ineptum.*

Pallada sollicitas frustra, doctasque sorores,
Rufe, puto, sacras vis temerare Deas.

XVIII.

In Medicos.

Ut Medicus nullum deplorat morte solutum,
Sic, rapto Medico, lachryma nulla datur.

XIX.

XIX.

Ad CAROLUM F——.

Si cupis ut valeas, quis non cupit uſque valere?
Non opus eſt Medicis, Carole, ſæpe bibe.

XX.

In MARIANUM *Decoctorem.*

Prædia quod vendit Marianus, res nova non eſt,
Mirum ſi rurſus venderet illa, foret.

XXI.

Ad FAUSTUM.

Nulla ſacerdotum concordia, Fauſte, futura eſt,
Ni cælo, fiat, detonat ipſe Deus.

XXII.

In Myſtas.

Si Chriſtus redeat videre Myſtas
In terras iterum, hos nec ipſe noſſet,
Illi nec Dominum ſuum Deumque.

XXIII.

In G. BURNETTUM *E. S. & Hiſtoriam de ſuis temporibus.*

Burnettus mores multorum & tempora damnat,
Quem coluit Batavum quin notat ille Deum.

XXIV.

Meditare futura.

Qui patriæ pater eſt, æternum nomen habebit;
Sed patriæ peſtem Numinis ira manet.

XXV.

In Londinum.

Urbs immenſa caput Londinum ad ſidera tollit,
Scorta tamen, mirum, vix capit illa ſua.

XXVI.

Apologia pro Regibus.

Cauſa gravis, Reges quod fallant fœdera lecti,
Inviſam ſponſam ducere quiſque ſolet.

XXVII.

Vinoſus.

Temetum laudo, fateor, potoque libenter;
Hoc bibit ille tamen, qui mihi dat vitio.

XXVIII.

Non omnia poſſumus omnes.

Nunc audent omnes de rebus ſcribere ſacris,
Rite docet nemo myſtica ſacra Dei.

XXIX.

In quendam pertæſum ſuæ vetulæ.

Qui Dryadum ſatur eſt, Nymphas petit ille marinas,
Quippe, ſuam minimè cernere gaudet anum.

XXX.

De PHYLLIDE.

Sedula, & ingenua eſt, & ſemper provida Phyllis,
Moribus antiquis prædita, cara viro.

XXXI.

Ad LESBIAM.

Auroram vincis roſeam mea Leſbia formâ,
O decus, & ſexûs gloria rara tui:

Si

Si ſenio fractus nudam te forte videret,
Mox fieret juvenis munere, Diva, tuo.

XXXII.

De CYNTHIA.

Cynthia ſidereis oculis, vultuque decoro
Me cepit, cujus vincula ferre juvat.

XXXIII.

In ZOILUM.

Cum dicas ſiccus nihil aptè, Zoïle, cedat
Ingenium melius forte tibi madido.

XXXIV.

In eos qui ferunt ſe poſſe explicare literas occultis notis exaratas.

4ϡχ6ϡxx48βω7544ϡ35xx44ϡ7x3τϡ6ϡωxχxx3x,
353πω3ϡχτ59ω3ω72β43ω9ω54x7ωβ3x.

XXXV.

In obitum Domini TALBOTI *Magnæ Britanniæ Cancellarii.*

Talboto rapto, ſtat fracta Britannia luctu,
Icta gravi caſu, quem reparare nequit;

Nam

Nam talem tantumque virum non perdidit unquam,
Nil opus Aſtræâ, quo ſuperante, fuit:
Munere divino ſedes tenet ille beatas,
Cæleſti minimè tempora digna viro.

XXXVI.

Ad BACCHUM.

O Liber, vinum nobis prohibetur aduſtum;
Quid faciet numen qui colit uſque tuum?
Qui rigat ingenium lymphâ, nunc carmina ſcribat;
Hei mihi! non genio convenit iſte latex.
Da mihi temetum, Liber, quod ſemper amavi,
Et, ſi quid præſtem, muneris omne tui eſt.

XXXVII.

Ad Lectorem.

Spiritus heu! vini non eſt venalis, ut ante;
Qui dabat ingenium, Lector amice, vale.

F I N I S.

MANTISSA.

EPIGR. I.

De Reginis MARIA & ELIZABETHA.

EST ingens Mariæ, clarum eſt & nomen Elizæ,
Jus dedit hæc Anglis, illa Caledoniis ;
Altera conſiliis, vicit ſed & altera formâ,
Utraque magnanimis æquiparanda viris :
Relligio, populique ſalus, animo inſita Elizæ,
Ceſſerunt votis omnia læta ſuis :
Rebus in adverſis veteres Heroïdas æquat,
Aut ſuperat Marie, nomen in aſtra ferens.

II.

De Rege JACOBO *Secundo.*

Filia cum Batavo rapuerunt regna Jacobo,
Plus nimio inſignis qui pietate fuit :
Regibus exemplo eſt, dum pendet in aëre tellus,
Credere nec Myſtis, nec magis eſſe pios.

III.

De ANNA *Reginâ.*

Præſtitit Anna ſuis armis ingentia facta,
Inclyta virtute eſt dia Stuarta domus ;
Magnanimis dedit illa ſuis mandata Britannis,
Vincere, vel vitam ponere Marte gravi :
Haud ſecus ac juſſi, juvenes Aquilone creati
Proſternunt Gallos, teſtis es Iſter aquis :
O quoties victum Lodoïcum Flandria ſenſit,
Invictâ & quot ſunt oppida capta manu!
Gente Caledonia eſt, quæ tam miranda peregit,
Inveniet quando terra Britanna parem ?

IV.

De Gente DUGLASSIA.

Armis æternum Duglaſſia gens ſibi nomen
Quæſivit, patriæ gloria prima ſuæ :
Mos fuit his ferro, non verbis dicere cauſam
Invictæ per tot ſecla Caledoniæ :
Si tales tantoſque viros nunc Scotia ferret,
Et primum & ſummum nomen in orbe foret.

V.

V.

Ad Nobiliſſimum Principem CAROLUM *Ducem* QUEENSBERRIENSEM, & DUBRENSEM.

Carole, belligeræ ſoboles Mavortia gentis,
Qui ſuperas morum nobilitate genus,
Exornas factis magnorum exempla virorum,
Sunt cordi patriæ jura ſaluſque tibi:
Mens immota manet, ſemper ſibi conſcia recti;
Humano generi, vivis & ipſe Deo.

VI.

Ad ejuſdem Principis Filios tanto Patre digniſſimos.

Illuſtres Juvenes, cariſſima pignora Patris,
Spes patriæ, auguſtæ ſpes quoque prima domûs,
Gloria Majorum memori ſit pectore fixa,
Ut virtus ardens nomen in aſtra ferat.

VII.

De JACOBO DUGLASSIO *Medico.*

Olim nota Anglis Duglaſſia gens fuit armis,
Cum dedit illa neci corpora multa virûm:
Vir ſummus reparat Duglaſſius hoc grave damnum,
Servando totidem Pæonis arte viros.

VIII.

VIII.

Ad R. V. E.

Ingratam populo legem V-----e ferebas,
Auguſto at dixit Poltnius ore, VETO.

IX.

De Londino.

Artibus ingenuis urbs hæc clariſſima longè eſt,
Edita perpetuò quod nova ſcripta docent;
Artibus impoſita eſt aliis manus ultima dudum,
Otia ne fiant, nunc colitur vitium:
Sed licet hoc ſummos poſſit jactare Patronos,
Haud melius cedet, præmia ni data ſint.

X.

In Lupercum.

Sæpe Luperce refers, auri modo copia detur,
Te ſervum Ditis tempus in omne fore:
Infit Rex Stygius, bene, convenit, I, pete noſtrum
Quæſtorem fidum; quod petis, ille dabit.

XI.

In Poſtumum.

Poſtume, res patriæ leviter, ceu ludicra, tractas;
Quid mirum? Mimum, Poſtume, ſemper agis.

XII.

XII.

De R. V. E.

Publica res cordi eſt, cui res eſt publica curæ;
Quid verbis opus eſt? rem ſapit ille ſuam.

XIII.

In Rufum.

In Venerem pronus quondam præcepſque ruebas,
Nunc, licet effœtus, Rufe, libido manet.

XIV.

De JACOBO TOMSONO.

Clarus Apollineâ doctus Tomſonus in arte eſt,
Senſus ineſt verbis, carmina pondus habent.

XV.

De ANDREA MITCHELO.

Mitchelum Themis ipſa docet ſua pandere jura
Artibus ornatum, dia Minerva, tuis.

XVI.

In Rufum.

Et lego Scriptores Græcos, lego ſæpe Latinos,
Et veteres ſummo ſemper honore colo:

Rufe, quod antiquis æquas nova ſcripta, novoſque,
Gratulor ingenio, judicioque tuo.

XVII.

In Poſtumum.

Qui fallunt alios, hi tandem ſe quoque fallunt,
Diſce, quod ignoras, Poſtume, vera loqui.

XVIII.

In Zoïlum.

Mirandum non eſt, quod carpis, Zoïle, nugas,
Rodere nuda canis ſordidus oſſa ſolet.

XIX.

Ad ROBERTUM GARDENUM.

Vis dicam Gardene tibi, quod verus amicus
Occurrit raro? nunc ſibi quiſque ſtudet;
Hoc faciunt pravi mores, & tempora dura,
Tu contra nitens, certus amicus ades.

XX.

Ad GULIELMUM LERMONTUM *Medicum.*

Poſt nullos memorande mihi Lermonte ſodales,
Cum repeto mores, ingeniumque tuum;

Summus

Summus enim veri cultor, ſpectatus, honeſtus,
Feſtivis fallens tempora ſæpe jocis:
Si tu nunc Veneri, nunc Baccho forte litares,
Munus & officium eſt; hic Deus, illa Dea.

XXI.

In Rufum Explicatorem notarum myſticarum.

Fortuito ſenſum divinas, Rufe, notarum,
Et clavis verbis convenit, hoc ſatis eſt.

XXII.

Aliud.

Si bene te novi, conaris plurima fruſtra,
Si quid in arte vales, has, rogo, pande notas.

XXIII.

Κζξφμκφωιξυξγυζκκγχωωχαφσζω
Γκαχμκχωδγκχθξκδφϟγυδγαζικζϟ
Βγφικχωζαυζσξγωθχϟζκκφμζϟξ

XXIV.

De JOHANNE MILTONO.

Dilectus Muſis Miltonus, gloria vatum,
Provocat antiquos, provocat ille novos;
Sublimis

Sublimis fertur referens cœleſtia bella,
In Styga cum præceps *Lucifer* ipſe ruit :
Divinus memorat vates, ut fraude doloque
Humani generis lapſus uterque parens :
Libertatis amans, vindex acerrimus exſtat,
Scriptaque cum mundo ſunt peritura ſua.

XXV.

In Cratera fractum.

Sæpe fuit ſtudium temeto cernere plenum
Te, Crater, vacuum proxima cura mihi ;
Te mihi dilectum rapuerunt triſtia fata,
Prô dolor ! & tantum ſuſtinuere nefas ?
Conſultò factum, ne potem, ſuſpicor eſſe,
Sed male, cui ſitis eſt, conſuluere mihi.

XXVI.

Ad Lectorem.

Hæc ego compoſui, paucis hâc notus in urbe,
Qui levat officiis, rarus amicus adeſt.

J. F.

BRITISH MUSEUM

~~837. h 37~~

11408. f 27